

17  
803  
11  
1740. 11. 11. 11.

THESES IURIDICAE.

CONTROVERSA-  
RVM IN VTROQUE IVRE  
CONCLVSIONVM MIS-  
CELLANEA.

*Quae*

A. D. O. M.

*Sub praesidio*

NOBILIS, CLARISSIMI,  
CONSULTISSIMIQUE VIRI D.  
FRIDERICI MARTINI I. V. D.  
S. Cæsarei Palatii Comitis : nec non  
Cæsar. Maieſt. & reliquorum Sereniffimorū Ar-  
chiducum Austriæ Conſiliarij, &c. Professoris  
Canonum in florentiffima Friburgensium Aca-  
demia Primarij, ac pro tempore Iuridicæ fa-  
cultatis Decani ſpectatiſſimi.

*PRO SUPREMO GRADU IN  
utroque iure conſequenti.*


Propoſuit diſputanda.

*Die 26. Martij tempore locoꝝ conſuetis.*

M. ADAMVS Meiſter. I. V. Stud.

FRIBV RGI BRISGOIÆ.

*Apud IOANNEM Strafferum. M. DC. X.*





REVERENDISSIMO  
ATQVE AMPLISSIMO IN  
CHRISTO PATRI, AC DOMINO,  
DOMINO MARTINO, CELEBERRIMI  
Monasterij Sãcti Blasij in Hercynia sylua, etc.  
Præfuli dignissimo ac vigilantissimo, Do-  
mino & Fratri suo summa reue-  
rentia obseruandissimo.

*Nec non*

REVERENDIS, RELIGIOSIS,  
PIIS ET DOCTISSIMIS PATRIBVS  
Fratribus Priori, Cellario magno, Præpositis, officialibus,  
& toti conuentui, Monasterij eiusdem, dominis  
suis gratiosis, & obseruandis.

**S**olent illi, Reuerendissime & Amplif-  
sime Præsul, Reuerendi & religiosi  
Patres, ac Fratres, Domini summa  
reuerentia obseruandissimi, qui Academico  
more ingeniorum fructus alijs nuncupant, ad

A 2 duo



EPISTOLA DEDICAT.

duo respicere. Quorum unum causas, quibus se illis potissimum obligatos fatentur; alterum laudes eorum virtutesque comprehendit. Ego, si quid in me sit facultatis aut ingenij, cur Reuerendissimo & Reuerendis nominibus vestris debeam, fronti superioris mea disputationis prefixi, quod Reuerendissima & Reuerendis Dominationibus vestris nec excidit, nec fastidiosè repetendum censeo. Illam vero partem, qua laudes vestras cõtingit, penitus intermittere constitui: Nam semper Philosophi illius vox mihi placuit, qui tribuno cuidam loquacitatis se laudare cupienti, respondit:

Ergo, quis me vituperat?

Quasi sine causa laudetur is, de cuius virtute, morumque, ac vitæ integritate & præstantia dubitet nemo. Accedit, quod obscuratur a potius oratio mea, quam illustratur a sit laudes vestras, si, quod in ore versatur omnium, & peregrinis etiam constat, ego domesticus vester ut novum atque ignotum aliquid, admirari viderer. Quid? si vetustissimam atque sanctissimam Sancti Blasii foundationem reuoluerem,

totque

EPISTOLA DEDICAT.

totque illustrium, generosorum, nobilissimorumque Canobij Rectorum nomina solum recenserem, longè epistole terminos excederem. Duo illa Reipub. vestra lumina, duo, inquam Caspari, quos vidit nostra ætas, soli proprio dicendi genere indigerent. à quibus, post tot calamitosas ruinas, deuastationes, turbulentissimas item, & non rarè seditiosas tempestates, quibus tum à fortioribus, tum cõparibus assidue premebantur, maiestas Blasiana vires suas, & quasi originem resumpsisse meritò dici potest. Hisce communi luctu defunctis, vno voto, consensusque Reipub. præfectus est, quo nunc gaudet Sanctus Blasius, felix & amabilis præsul. qui reliquorum Patrum consilijs, in auxilium assumptis, officij sui memor, & frugalitatis leges ob oculos habens, iamnum tanto splendore, dignitate, opibus atque etiam regionibus adauxit dominatum, ut se tam virtute, quam gubernandi dexteritate antecessoribus successisse haud obscure demonstrarit. Hunc tam prosperum regiminis successum, quæ religionis, pietatis, disciplina virtutum denique omnium stu-

A 3 dia

EPISTOLA DEDIC.

*dia comitentur, sapiens quisque per se augurabitur. cum credibile non sit talia fortunam dissolutis & impijs invito Numine indulgere.*

Dei enim, dedecus est, impios esse  
fortunatos.

*Gratulari igitur ac triumphare mihi liceat, alios suorum patronorum virtutes calamo patefacere necessum habere, meo autem officio communem famam, & diffusum toto ferè orbe rumorem fungi. Itaque hac mea epistola aliud non vult, quam Disputationis huius tutelam, fauoremque mutare: ut enim imagines principum foribus affixa, ades à militum ferocia tutas reddunt, sic, quæ nos in lucem dare solemus, appositis nominibus potentiorum, ab inuidorum calumnijs, proteguntur. Alterum itaque hunc laborem, & quaecunque ingenij argumentum tuimini, illudque & me totum habete Reipub. vestra deuotum, atq; consecratum.*

*Deus Maximus te Reuerendissimum & Amplissimum, vosq; Reuerendos ac Venerabiles*

EPISTOLA DEDICAT.

*biles Patres, ad perpetuum religionis & Reipubl. incrementum, quàm diutissimè sospitet, & incolumes tueatur. Data Friburgi Brisgoiæ 26. Martij. Anno 1610.*

Reuerendis. & Reuerendarum  
Dominat. V. V.

Deuotissimus Cliens

M. Adamus Meister.

CONTRO.



CONTROVERSARVM IN  
vtrouque iure Conclusionum  
Miscellanea.

CONCLUSIO PRIMA.

**I**UDICEM bonum nihil ex arbitrio suo & domesticae voluntatis proposito, nihil paratum ac meditatum domo deferre, non indulgere propriae voluntati ac priuatae scientiae, sed iure suadente, iuxta allegata & probata in iudicio sententiam dicere oportere, asserimus.

*c. iudicet. 3. q. 7. l. illicitas §. veritas ff. de off. praesid. Couar. var. resol. lib. 1. cap. 1. per. tot,*

II.

Quod non solum in ciuilibus, sed & criminalibus verum est, adeo vt vel absolueri vel condemnare eum teneatur ex his, quae ipsi per publica documenta constant.

*Couar. d. cap. 1. num. 7. vers. secundum etiam. Bonum enim est argument. a ciuilibus ad criminalia. Nicol. Euerhard. in suis locis legalibus loco a ciuilib. ad criminalia.*

III.

Aliud tamen est in principe, qui cum potestatem habeat condendi leges, & abrogandi (a) ex propria & particulari scientia, tamen si contrarium in iudicio sit probatum, iure sententiam profert. (b)

(a) *l. fin. C. si cont. ius vel util. publ.* (b) *And. Gail lib. 1. obs. 42. n. 3. princeps enim est solutus legibus. l. princeps. ff. de legib.*

Cæterum,

THESES IURIDICAE.

IV.

Cæterum, vtrum princeps priuatorum testamentis valeat derogare, eorumque leges ac conditiones, mortui testatoribus, tollere seu mutare, incidenter quaeritur? Et negatur.

*tex. expressus. in l. si testamentum C. de testament. & tradit Couar. resoluc. lib. 3. cap. 6. n. 5.*

V.

Nam ius alteri quaesitum, ne quidem ex plenitudine potestatis, vt vocant, auferre potest: (a) causa vero subsistente adhuc ad rationabilem recompensam obligatur. (b)

(a) *per §. 5. Iuris praecepta, Inst. de Inst. & Iur. & ea quae Couar. d. lib. 1. cap. 1. n. 8.*

(b) *per l. venditor §. si constat ff. commun: praedior. Andr. Gail lib. 2. obs. 56. n. 8. Euerhard. loco a plenitud. potest. n. 14.*

VI.

Crimen laesae maiestatis est, quando princeps, Rex, aut alius quiscumque magistratus superiorem non recognoscens offenditur.

*l. 1. ff. ad leg. Iul. Maiest. Iul. Clar. lib. 5. recept. sent. §. crimen laesae Maiestatis.*

VII.

Hoc crimen varijs modis committitur, praecipue vero cum quis contumaciter in principem insurgit, aut consiliarios, qui in eius sunt curia, violat, aut nefarias conspirationes, aut fœdus proditorium cum hoste tractat.

*passim in tit. ff. & C. ad leg. Iul. Maiest.*

IX.

Præterea & is Maiestatis reus habetur, qui sciens huiusmodi machinationibus principem expositum, eas non manifestat.

*Uiquisquis. C. eod. tit. Nam in atrocissimis delictis, solus conatus*

*B. ultimo*

THESES IURIDICÆ.

*ultimo supplicio punitur. Couar. Clem. si furiosus. 2. p. de homicid. init. num. 7.*

IX.

Ex his apparet in magistratus inferiores crimen læsæ Maiestatis propriè non committi.

*per §. pœnales. 12. Inst. de Actionib. & Schneid. §. publica. Inst. de pub. Ind.*

X.

Huius criminis reis pœna capitalis præstituta est, publicatis etiam bonis, & damnata defuncti memoria.

*l. quisquis. C. hoc tit. & l. quisquis. cum l. ult. ff. eod. Clar. d. §. Crimen læsæ Maiest.*

XI.

Item infamiæ & prohibitæ factionis testamenti pœna, quæ ad liberos ac nepotes transit.

*d. l. quisquis C. h. t. & ea quæ Iul. Clar. in alleg. §. & Couar. lib. 2. resolut. cap. 8. num. 1. & 2.*

XII.

Amplius à beneficijs Ecclesiasticis, alijsque Reipub. muneribus iure repelluntur,

*Couar. fusè. d. cap. 8.*

XIII.

Capitulum seu collegium Canonïcorum defunctum prælatum repræsentat, omnisque potestas & iurisdictio, tam de diuinis, quam humanis disponendi ad ipsum devoluitur.

*c. his que. c. cum olim. de maior. & obed. Gail. lib. 1. obs. 30. n. 12.*

XIV.

Vnde non secus, quam Episcopus excommunicare excommunicatis vincula relaxare (a) absolvere à iuramento (b) statuta erigere, aliisque omnia quæ Episcopus, facere potest. (c)

(a) *c. ad abolendum, de heret. c. 1. de maior. & obed. lib. 6. glos. c. 1. ne sede*

THESES IURIDICÆ

*ne sede vacant (b) Gail alleg. obs. 30. nu. 12. (c) c. 2. de maior. & obed. c. nulla 3. q. 4. Dd. commun. in l. 3. ff. de Iurisdict.*

XV.

Cæterum in præiudiciū Ecclesiæ aut futuri Episcopi si faciat aliquid, hoc postmodum ab Episcopo legitime reuocatur.

*c. sicut nostris, de Iureiur. Gail d. loc. n. 18.*

XVI.

An autem Episcopus ad obseruationem statutorum, se de vacante à capitulo rectorum obligetur, ambiguus est iuris punctus? Nos assentimur, (a) si in episcopalis iurisdictionis læsionem tendant, (b) negamus.

(a) *argt. c. fin. de off. leg. c. 2. de constit. l. leges. C. de legibus (b) Gail ubi antea. n. 18.*

VII.

Tametsi homicidia omni iure prohibita sint, attamen iniuste egisse non cæsetur, qui corporis sui rerumque suarum conseruandarum causa violentum aggressorem interemerit.

*l. ut vim ff. de Iust. & Iur. l. 1. C. unde vi l. furem q. ff. ad leg. Corn. de siccar.*

XIX.

Anceps & varijs Dd. sententijs agitata se hic offert Quæstio, an Clericus in sacris ordinibus constitutus, si deliberata voluntate, se homicidij reum effecerit, ipso iure beneficijs Ecclesiasticis priuetur, an per sententiam iudicis priuandus veniat? Cuius quæstionis posteriorem partem ruebimur,

*tex. in. c. Clericus E. ne Clerici vel Monach. Couar. Clement. s. furiosus de homicid. p. 2. relect. §. 3. nu. 6. Clar. §. homicidium. vers. de Iure Canonico.*

XIX.

Num pontifex matrimonium ratum & nondum copula consummatum dispensatione dissoluere valeat, arduum est certamen? Nobis, saluo Ecclesiæ iudicio, aiens ut iuri & rationi magis consona, placet.

THESES IURIDICÆ.

*c. cum societas 27. q. 2. c. 2. & c. ex publico de conuers. coning. c. inter corporalia. c. quanto de transl. Episcop. Syluester in aurea sum. verb. diuortium. 4.*

XX.

Emmissa professione religiosus, cum se suaq; Deo dedicauerit, adeoq; voluntatem amplius habere nō censeatur, testamenti factionem non habet.

*Auth. ingressi C. de sacrosanct. Eccles.*

XXI.

Verum cum non rarò contingat, vt ante religionis ingressum aliqui testamenta eondant, quomodo huiusmodi dispositiones subsistant Dd. controuertunt. Et nos valere censemus siue ingressus monasterium, de religionis ingressu, tempore conditi testamenti, cogitauerit, siue non, per tradita à Couar. in c. 2. nu. 8. & seqq. de testament.

XXII.

Difficile ac intricatū est dubium, vtrum fideicommissarius iussus post mortem restituere hæreditatem, si monachum ordinis mendicantium induat, statim facta professione fideicommissum restituere, vel mortem naturalē expectare debeat? Nobis naturalis mors non videtur expectanda.

*tex. in c. placuit. 16. q. 1. & c. nullus 2. q. 7. Clem. exiui de Paradiso. de verbor. signif.*

XXIII.

Superiori affine illud est, Vtrum bona Nouitij, qui intra probationis annum, testamento non condito, nec facta renunciatione, in monasterio decessit, Ecclesiæ vel venientibus ab intestato acquirantur? In quo distinguendum putamus, aut enim ingrediens se & sua bona expressè obtulit monasterio, aut nihil exprimens, probationis tantum gratia

THESES IURIDICÆ.

gratia habitum assumpsit: Hoc casu ab intestato venientibus, illi Ecclesiæ seu monasterio successio debetur.

*post alios fuscè Ioan. Gutier, lib. 2. Cap. quest. cap. 1. à num. 107. vsq; ad fin.*

XXIV.

Tutor de rebus pupilli inuentarium conficere tenetur, (a) nisi hoc onus ei testator remittat. (b)

(a) *l. tutor qui repertorium. ff. de Administr. tutor. l. tutores. C. eod.* (b) *quod facere potest l. fin. C. Arbit. tutel.*

XXV.

In contractu emptionis & venditionis emptor ad pretium, venditor ad rem, super qua contractum est, tradendam, omnino compelli potest. nec interesse offerendo liberatur.

*l. ex empto ff. de Actionib. empt. & vend. l. 2. ff. de his qui sui vel alien. iur.*

XXVI.

Cæterum emptor per se, vi aut clam, in possessionem rei emptæ propria authoritate venire non debet.

*l. si ex stipulatione, & l. 33. ff. de Acquir. possess. l. nec ex vera. Cod. eod.*

XXVII.

In quo contractu illud etiam controuertitur, vtrum venditor inuito emptor à Iudice superiore contra venditoris creditores, ad liquidanda debita edictalem citationem extrahere possit? Aientem opinionem propugnabimus.

*vt litium sit finis, & dominia rerum non sint incerta per simile in l. 1. ff. de vsucap. & tex. in princip. Inst. eod. tit.*

XXIX.

Quamuis feuda nullo modo possint alienari, licitum tamen est vasallo alterum sub infeudare, si id sine Domini & agnatorum præiudicio fiat, & res aliàs syncerè explicetur.

*c. 1. de prohib. feud. alien. per Frid. Zas. p. 9. n. 1. & 17. de Feud.*

THESES IURIDICÆ.

XXIX.

Ad quod tria sunt necessaria, primum vt vasallus hoc faciat bona fide & sine fraude. secundum, vt ille cui sub in feudatur sit eiusdem conditionis & qualitatis cum vasallo, Tertium, vt iisdem pactis & cōditionibus, quibus tale feudum ipse tenet, sub in feudet.

*Inl. Clar. §. feudum, q. 32.*

XXX.

Hinc in dolo esse censentur, qui sub prætextu inuestituræ accepto pretio, nihil agunt aliud, quàm feuda vendant,

*d. c. 1. §. præterea. de prohib. feud. alien.*

XXXI.

Legitimè facta subinfeudatione, dominus directus ad præstanda seruitia subuasallum cogere non potest.

*cum actio personalis, non transeat in successorem singularem l. 1. §. si heres. ff. ad Trebell. & est tex. in c. unico. qual. ob. feud. pot. alien. nec enim socij mei socius, meus est socius. l. socius meus. l. non socius. ff. pro socio.*

XXXII.

Si sæpius ordine facta sit subinfeudatio & secundus tertium, tertius quartum, &c. subinfeudet, vltimus alienare volens, proximi Domini consensum requirere debet.

*quia is tantum illius dominus dicitur §. illud quoq. precipimus. de prohib. feud. alien. per Frider.*

XXXIII.

Cum subinfeudante expirat subinfeudatio, feudumq. ad agnatos, aut illis non existentibus ad dominum primum relabitur (a) qui volentem continuare seruitia rursus inuestire tenetur. (b)

(a) *Nam resolutio iure datoris resoluitur acceptoris. c. 1. §. rursus. Quib. mod. feud. amitt. (b) c. unico. qual. ob. feud. poter. alien.*

XXXIV.

Prodigus est, qui nec tempus nec finem, nec rationem expen-

THESES IURIDICÆ.

expensarum obseruat (a) cui omnis administratio à iudice auferri, & ad similitudinem furiosi curator constitui solet, vt ad contrahendum reddatur inhabilis. (b)

(a) *Vlp. in l. 1. ff. de curat. furios (b) interest enim Reipub. ne quis res sua male utatur. l. in re mandata C. mandati.*

XXXV.

An autem notoriè prodigus, ante declaratoriam iudicis sententiam, stare in iudicio, donare, ac contrahere validè possit, variant Dd. Nobis contractus ab ipso ante interdictum iudicis initos, vltro citroq. obligatorios esse, placet.

*per l. is cui bonis. & ibi glos. ff. de verb. oblig. l. certi conditio §. item queri ff. de reb. cred. si cert. petat.*

XXXVI.

Lata, itaq; sentētia, contractum in scio curatore inicum, etiam iuramento interueniente, seruare non tenetur.

*prodigi enim nullus est consensus. l. mutum. ff. de acquir. hered. & discretionem caret. l. 1. ff. de curat. furios.*

XXXVII.

Ex eodem capite nec ad præstandam dotem filiæ promissam prodigus obligatur.

*per tex. l. Fulcinius. §. adeo ff. ex quib. caus. in post. eat.*

XXXIIX.

Quæstionis est vtrum illustri, generoso, nobili, &c. Cum causæ cognitione declaratus prodigus, absq; curatorum adiumento adhuc merum & mixtum imperium exercere, animaduertere in criminosos, conferre officia, renouare magistratus, si sit consuetudo, valeat? Cuius negatiuam, vt veritati magis conformem, amplectimur.

*Argument. d. l. 1. ff. de curat. furios. & l. non debent ff. de dolo.*

XXXIX.

Si duo testamenta eodem die confecta producantur, & ex ipso



THESES IURIDICÆ.

ex ipforum lectura de prioritare nihil constare possit, neutrum valere defendemus.

*Iul. Clar. §. testamentum. q. ult.*

XL.

Aduocatus si ad malam informationem vnius partis de iure responderit, postea ab aduersa parte verius & melius instructus, si prius responsum mutauerit, atque pro eo, qui rem vt gesta est exposuit, responsum dederit, prauaricationis crimen non incurrit.

*Absolutissime vt omnia, absolutissimus & obseruandus Preceptor, & Præses meus in c. de his. de Accusat. circa fin. vers. Ceterum Aduocatus.*



FAVOR

THESES IURIDICÆ.



FAVOR ET BENEVO-  
LENTIA ILLVSTRIS ET GE-  
NEROSI DOMINI, DOMINI CAROLI  
SCHVRFE DE SCHENBERG ET  
Niderenpreitenpach, etc. liberi Baronis  
in Marienstein: hæreditarij venationibus præ-  
positi comitatus Tyrolensis.


*Erga eruditissimum sibiq. per  
familiarem.*

M. ADAMVM MEISTER V.I. etc.  
Candidatum.

**N** Actenus Arceus secum meditatus  
ab alto  
Natura solio, quod fabricaret opus:  
Seminamox prodire iubet, qua tēpore brumæ,  
Imo sub terra delituere solo.  
Illa novas vires Zephyro spirante resumunt,  
Et præbent messis signa futura probæ.  
C. Præstat

THESES IURIDICÆ.

*Prestat Adamus idem, quando intima clau-  
strare pandit,  
Ingenij, & plenum flore recludit agrum.  
O quam suavis odor violas & lilia vincens,  
Vincens Eoo balsama mixta croco.  
Si tanta est, quam nunc exhalat, gratia florū:  
Quanta futura ergo copia messis erit?*



*EIDEM MERITO ET EX  
affectu applausit hoc Epi-  
grammate.*

IOANNES FAVTSCHIVS Medicinæ  
Doctor & Professor ordi-  
narius.

*Cum iam vere nouo spirat clementior aura.  
Et redolent violis cuncta vireta nouis.  
Sedula prodit apis campos explorat & hortos,  
Ut suauis plenum melle reportet onus.  
Fallor? an hoc ipsum moliris Adame Magister.  
Cum*

THESES IURIDICÆ.

*Cum vasto ex iuris Codice promissus opus?  
Promissus opus plenum Ambrosia, pretiosius auro,  
Nectare promissus opus suauius atq; fauis.  
Hoc nulla tinea absument, cariesq; nociva,  
Non fucus mordax, non scarabæus iners.  
Sed nec dentatos rictus, linguasq; minaces,  
Non morsus metuit, Zoile prave, tuos.*



EIDEM CONTUBERNALI  
& Fratri suo.

*O Cæano egrediens Riuus mundumq; recur-  
rens  
Rursus ut antiquis insinuatur aquis:  
Neptunumq; tegens maioribus auctior undis,  
Imperio Charus Regis ut addit onus.  
Ante aliquot Patria tu sic egressus aristas,  
Auctior ingenij rebus Adame redix.  
Neptunoq; tuo, Fratri puto, glorius omnis  
Doctrina plenum pandis honore sinum:*

THESES IURIDICÆ.

*Sublimisq; sedens supremo in vertice morum,  
Virtutis Victor, culmina calce premis.  
Hæ cause, agnosco, quondam stimuliq; fuerunt,  
Quod passus nullum sedulitate parem es.  
Ingenij riuos semper cumulare studebas,  
Vt valeas Regis, Flumen, amore frui.  
Patria pæde sinus, Triton pater exere vultu,  
Respicere imperio quanta columna redit.*

IOANNES CASPARVS  
à Waldkirch.



EIDEM AMICO ET FRATRI  
Amantissimo.

**L** Ege quidem vetitus populo fuit Ambitus  
olim,  
Pœnaq; pro voto sollicitare grauis.  
Sitamen ingenio quisquam prensasset Honorẽ  
Et Patriæ, Laurum promeruisset, amans.  
Illum Romanæ trabeæ, trabeasq; securis,  
Hanc dignus per se subsequeretur honor  
Ergo

THESES IURIDICÆ.

*Ergo tibi nullam ponit Lex Iulia pœnam,  
Si, quam non ambis, gloria sponte venit.  
Ingenium populi comitantur vota fauores,  
Virtus dat patriæ, spemq; fidemq; tua.*

IOANNES CONRADVS  
ab Offtingen.



EIDEM DEBITÆ OBSER-  
uantia ergo congaudet, &  
Gratulatur.

MATTHEVS ZVLECHNER.

**Q**uisquis aues fama totum volitare per orbẽ,  
Et regum alloquijs consilioq; frui.  
Quiuẽ etiam sero notus cupis esse nepoti,  
Et spem perpetuæ posteritatis habes;  
Perdius & perniox æternas Palladis artes  
Infigas menti, cetera linque Deo.  
Gloria principium est artis, viresq; dat arti,  
Artem perpetuus concomitatur honos,  
Bartholus & Baldus. si nõ sic nomen haberent,  
Una, fama & corpus contegerentur humo:  
C 3 Gaudia

THESES IURIDICÆ.

Gaudia pertendant igitur tua pectora Adame  
Cui eadem ad laudes est patefacta via.  
Cernis ut extensis te spectet gloria palmis,  
Nomenq; æternum polliceatur honor?  
Solùm age constanti quo ducit gloria gressu,  
Dirige iter, quo te ducit honos, sequere.  
Vicisti, atq; alta positus in rupe laborem  
Respicis, aridet meta laboris, Honor.  
Inclinatq; caput, monstratq; in valle labores,  
Præmiaq; ex plena porrigit ampla manu.  
Te patria: & patrio expectat Respublicæ  
voto,  
Teq; amplexura brachia lata mouent  
Dignus es ut populos igitur, saltusq; gubernes  
Legibus Hercynos consilioq; regas.

F I N I S.

